

3 Est ergo vocatio D E I efficax, quâ Deus electos ad vitam æternam ex mera sua gratia per promulgationem fœderis gratuiti, ex tenebris in admirabilem lucem, à potestate Satanæ ad Deum in Christo Jesu vocat; vocatisque fidem veram & firmam, quâ Deo vocanti respondeant, donat.

4 Fides est potior efficacis vocationis pars, in cordibus electorum prædicatione Evangelii per Spiritum sanctum accensa, & usu sacramentorum confirmata, quâ firmiter doctrinæ per Prophetas & Apostolos traditæ assentiuntur, & gratuitas in Christo promissiones certò amplectuntur, constanter statuentes, se testamento esse institutos hæredes, omniumque beneficiorum morte Christi partorum, infallibiliter fore participes.

5 Hæc de vocatione: Justificatio est à crimine absolutio, & pro justo declaratio.

6 Estque duplex: Alia Legalis, alia Evangelica. Legalis est, cum quis propriâ in hærente justitiâ Legi conformis esse pronuncietur. Evangelica est, quâ peccator absolvitur & justus reputatur coram Deo, gratis per fidem propter meritum Christi.

7 Ex lege ante lapsum fuit justificatus Adamus verè & universaliter: verè item, sed